

eorum libellum offerre, seu partes actoris sustinere velit; ac proinde periculum subsit, ne partes illæ veniant ad arma. In tali quippe casu iudex ex officio instituit « Judicium summarissimum (quod alii appellant iudicium interim, sive summarissimum possessorium) » in quo vocatis ambabus partibus, earumque fundamentis auditis summatim cognoscit, uter ex litigatoribus tempore motæ litis possideat, sicque sciatur, quis debeat sustinere partes actoris in possessorio ordinario, vel petitorio iudicio. Fachineus lib. VIII. *Controvers. jur.* cap. xv. circa init. Ludovic. ab Ecclesia, « Observationes forenses senatus Pedemontani, » observ. 189. n. 1; Covarruvias *Practic. quæst.* cap. xvii. n. 1. et seqq.; Menochius *de Retinend. possess.* Remed. ult. n. 1 et seqq. alique ab his relati. Ubi

113 et 114. *Judicium retinendæ possessionis, duplex: ordinarium, seu plenarium; et possessorium summarium, seu potius summarissimum: idque declaratur.* — Sciendum est, quod communis doctorum duplex statuatur « iudicium retinendæ possessionis, sive (ut alii loquuntur) duplex possessorium retinendæ. » Unum dicitur « ordinarium, seu plenarium, » in quo videlicet juris ordine servato proceditur, ac principaliter et absolute de possessione partium disceptatur: unde et plena causæ cognitio adhibetur, num actor rem, de qua controversatur, vere possideat, et quidem non ei, nec clam, nec precario, arg. l. I. ff. *Uti possidetis.*; Fachineus cit. lib. VII. cap. xv. Gailus lib. I. *Practic.* observat. 7. n. 2 et 4. Ubi cum aliis notat, quod sententia in hoc iudicio lata, non sit modici præjudicii, quia est diffinitiva: neque aliam post se super possessorio expectat sententiam, nisi fuerit appellatum; ideoque magni momenti est, juxta textum in § *Retinendæ. Instit. de Interdict.* et hoc fit propter multiplicia commoda possessionis, superius tit. XII. *de Causa possessionis proprietatis.* § 2. n. 39. et seqq. ex professo jam declarata.

Alterum vocatur « Possessorium summarium, » seu potius « summarissimum, » in quo iudex summatim cognoscit, quisnam ex litigatoribus tempore motæ litis possideat, sicque in sua possessione manutenendus sit, salvis cæteroquin juribus partium tam in possessione, quam in proprietate, donec de his in possessorio ordinario, vel petitorio iudicio, plenarie cognoscatur. Atque hujus-

modi iudicium summarissimum præcipue instituitur ad eum finem, ne lite diutius pendente partes ad arma veniant. Declarat istud Menochius cit. remed. ult. *de Retinend. possess.* n. 1. et seqq. in casu, quo duo de eadem possessione litigant, et ambo contendunt se possidere, atque controversiam hanc non iudicio, sed armis diffinire gestiunt: dum videlicet uterque sua auctoritate, atque manu, in possessione sese tueri conatur; uterque armis bene munitus, et sociorum auxilio stipatus adversarium terrere, atque ne ad possessionem accedat, repellere studet tunc enim, quia iudicis officium expostulat, publicam pacem, et reipublicæ quietem illasam servare, is utrique parti jubere, atque sub pœna indicta præcipere solet, ne ad eam possessionem accedere audeant, sed ipsam sub sequestro apud se relinquunt. Quo facto diligens iudex utriusque partis summarias informationes, seu documenta juris sui super possessione, ex officio sumit, et deinde pronuntiat illum, qui tempore litis motæ in possessione, seu verius detentione fuerat, interim possidere debere, donec causa illa in possessorio ordinario, vel petitorio iudicio, plenarie finiatur. Ita iudicium summarissimum (sive, ut alii loquuntur, « iudicium interim vel possessorium summarissimum ») describit Menochius loc. cit. allegans alios, et pro se adducens textum notabilem in l. *Liberis.* § fin. ff. *de Liberali causa.*

115. *Sententia in summarissimo iudicio lata, est solum interlocutoria, non diffinitiva. Nec offert perpetuum, sed modicum duntaxat præjudicium. Secus dicendum de sententia lata in possessorio ordinario.* — Porro sententia in hoc iudicio summarissimo lata inter principium et finem ipsius causæ possessorii; non vero diffinitiva. Menochius cit. remed. ult. n. 46; Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xvii. n. 2; Gailus d. lib. I. observat. 7. n. 6. et alii. Simulque sententia in ipso lata non offert perpetuum, sed modicum duntaxat præjudicium; eo quod feratur ad interim solam, et salvo jure litigantium in possessione, et proprietate. Lud. Postius *de Manutendo.* observat. 2. n. 32. et alii. Ac proinde præjudicium illud est reparabile tam in possessorio ordinario, quam in petitorio: qua de causa etiam appellatur « Momentaneum possessorium. » Gailus cit. observat. 7. n. 5 et 6. Quamquam iudex dictam sententiam interlocutoriam extra possessorium ordinarium, vel petitorium, amplius revocare non possit; eo

quod ipsa secum trahat executionem, dum jubet unum ex contendentibus in possessione esse, alterum ab ea abstinere: haud obstante quod alioquin sententia interlocutoria revocari possit, l. *Quod jussit.* ff. *de Re judicat.* Menochius loc. cit. n. 56. quidquid nonnulli apud ipsum in oppositum teneant.

116. *In iudicio summarissimo non admittuntur exceptiones tangentes proprietatem rei.* — Resp. II. In iudicio summarissimo, seu iudicio interim, nulla admittitur exceptio, quæ vel rei proprietatem tangit; vel alioquin est turbida, seu requirit altiorem indaginem. Ita Menochius cit. remed. ult. n. 43; Ludovic. Postius d. tract. *de Manutendo,* observat. 42. n. 67. 68. et seqq. allegans Rotam in Romana, seu Terracinens. Afflictus coram R. P. D. Pirovano, post tract. decis. 215. n. 16. Fontanell. *de Pact. nuptial.* claus. 7. Gloss. 3. part. X. n. 75, tom. poster. Gratian. *Discept. foren.* cap. cmxxvi. n. 27. cum plurimis aliis. Ratio prioris partis conclusionis est: quia iudicium possessorium, nihil habet commune cum petitorio; ut l. *Naturaliter.* § 2. ff. *de Acquirend. possess.* ibi: « Nihil commune habet proprietatis cum possessione. » Atqui iudicium summarissimum hætenus explicatum, est possessorium; ergo non mirum, quod in eo non admittantur exceptiones, quæ tangunt proprietatem rei; hæ enim pertinent ad petitorium, non ad possessorium. Idem a simili confirmatur ex causa restitutionis spoliatorum, ubi probata rei cuiuspiam præhabita possessione, et facta ipsius spoliatione, non admittitur exceptio proprietatis rei, sed spoliatus ante omnia est restituendus, cap. i. et seqq. *de Restitut. spoliat.* estque supra eod. tit. XIII. § 3. n. 48. et seqq. ex professo jam dictum.

117. *Nec turbidæ, seu requirentes altiorem indaginem.* — Altera vero pars conclusionis ex eo probatur: quia possessorium summarissimum non tam veram et propriam possessionem respicit, quam statum rei, qui erat tempore motæ litis, aut paulo ante; ut notat Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xvii. n. 5. vers. *Sic sane;* Postius cit. tract. *de Manutendo,* decis. 322. n. 3; Menochius d. remed. ult. n. 18. allegans alios. Ergo probata semel per summarias informationes, sive documenta, præhabita possessione, aut verius detentione alicujus rei erit quis manutenendus in dicta detentione, donec contrarium probetur, l. *Si quis ante.* ff. *de Acquirend. possess.* et l. *Attilius Regulus.* ff. *de*

*Donationib.* Ubi non solum habens veram possessionem, sed etiam detentionem cujuspiam rei tempore motæ litis, dicitur manutenendus in ea: sicque merito in iudicio summarissimo repelluntur exceptiones turbidæ, atque altiorem indaginem requirentes, donec causa possessoria principalis, vel etiam petitoria instituat, in eaque doceatur de jure actoris, juxta dicta superius tit. XII. *De causa possessionis et proprietatis.* § 7. n. 223. et 224. ac seqq.

118. *Atque istud varie exemplificatur.* — Inferitur proinde, quod in hujusmodi iudicio summarissimo non possit iudici objici exceptio excommunicationis, altiorem indaginem requirens. Menochius cit. remed. ult. n. 43. Neque in beneficialibus defectus tituli. Menochius eod. n. 43. Nec admittatur in hoc iudicio testium repulsatio. Menochius ibid. n. 41. et Covarruvias cit. cap. xvii. n. 4. vers. *Septimo est.* Neque exceptio invaliditatis provisionis. Postius, ubi supra, decis. 42. n. 68. post Rotam in Romana domus, coram R. P. D. Ghislerio, et plures alias decisiones, quas allegat. Quinimo omnis ab hoc iudicio aliena dicitur exceptio, quæ in continenti (hoc est, intra terminum probatorium, seu instantiæ) non probatur. Postius d. observat. 42. n. 73. citans Rotam in Romana Fideicommissi de episcopis, coram R. P. D. Verospio. Ratio horum est, quæ supra: quia videlicet in possessorio summarissimo non tam agitur de vera possessione, quam de statu rei, qui erat tempore motæ litis, vel paulo ante: unde exceptiones hujusmodi statum rei non respicientes, merito rejiciuntur; cum hæc sint impertinentes, et potius spectent ad possessorium principale, vel iudicium petitorium, ad quod proinde remittuntur, seu reservantur examinandæ.

## § V.

## DE EXCEPTIONE EXCOMMUNICATIONIS, ET QUIBUSDAM ALIIS EXCEPTONIBUS IN SPECIE.

119. *Excommunicationis nomine absolute posito, intelligitur excommunicatio major. Exceptio excommunicationis potest a reo contra actorem proponi tam ante litis contestationem, quam in qualibet parte iudicii, etc.* — Quæritur I. Quo tempore, qua ratione opponi possit, ac debeat exceptio excommunicationis? Resp. I. Exceptio excommunicationis majoris (quæ sub *Excommunicationis* nomine abso-

lute posito semper intelligitur, c. *Si quem*, 59. de *Sentent. excommunicat.* potest a reo contra actorem opponi non solum ante litis contestationem ad instar exceptionum dilatoriarum, Clem. un. h. t. sed etiam post eam, sive in qualibet parte iudicii, termino peremptorio ad proponendas quaslibet exceptiones per iudicem assignato non obstante. Ita textus in c. *Exceptionem*. 12. h. t. ubi istud dicitur « in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animæ excommunicato communicare cogatur. » Eo tamen addito, quod si reus malitiose diutius omiserit exceptionem excommunicationis opponere, ut actor laboribus et sumptibus fatigetur, ipse in expensis legitimis huic sit condemnandus; estque jam dictum supra § 3. n. 60. et 61. Concordat, atque amplius conclusionem declarat textus in cap. 1. h. t. in 6 in Clem. un. eod.

120. *Exceptio excommunicationis repellit actorem ab agendo, non reum a defendendo.* — Additur notanter, « a reo contra actorem, » etc. Siquidem exceptio excommunicationis majoris in quacumque parte litis opposita repellit quidem agentes, sive actorem ab agendo; non vero defendentes, sive reum a defendendo. Glossa cit. cap. 1. h. t. in 6. §. *Agentes*. quæ istud probat ex c. *Intelleximus*. 7. de *Judiciis*. et c. *Cum inter*. 5. h. t. in quo proinde posteriori loco dicitur, quod reus excommunicatus possit excipere, appellare, et omnem defensionem facere; quamvis actorem reconvenire non possit. « Ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur, » prout loquitur textus ibid. Concordant dicta superioris tit. I. de *Judiciis*. § 6. n. 146. ac aliis locis ibidem allegatis, ubi plura de hoc.

121. *Tamen ut repellat actorem ab agendo, debent plures observari conditiones. Eam opponens debet speciem excommunicationis, et nomen excommunicatoris exprimere.* — Resp. II. Nihilominus, ut excommunicatio in vim dilatoriam opposita contra actorem, repellat istum ab agendo, debent observari conditiones illæ, quæ cap. 1. h. t. in 6. præscribuntur: et sunt sequentes. *Primo*, excommunicationem opponens debet speciem ipsius excommunicationis, et nomen excommunicatoris exprimere.

122. *Ipsamque apertissimis documentis probare infra octo dies. Dummodo non obstat legitimum impedimentum.* — *Secundo*, Reus opponens tenetur dictam excommunica-

tionem apertissimis documentis probare infra octo dies: alioquin iudex procedet in causa, et ipsum condemnabit in expensis, quas actor idcirco diebus illis se fecisse probaverit. Intellige, dummodo propter opponentis infirmitatem, vel propter fraudem adversarii, aut testium absentiam, vel propter aliam justam causam non impediatur, tempus octo dierum, quominus tunc fiat probatio oppositæ excommunicationis: quia stante tali legitimo impedimento non currit tempus illud, vel saltem a iudice prorogari potest, arg. l. 2. ff. de *Re judicat.* ac notat Speculator tit. de *Dilationibus*. § 1. n. 13. Alias vero spatium octo dierum currit ipso jure, licet eos iudex excipienti non præfigat: quia terminus iste a jure statutus est. Speculator loc. cit. n. 14.

123. *Enumerantur aliæ ejusmodi conditiones.* — *Tertio*, in cit. cap. 1. h. t. in 6. statuitur, quod si excommunicatio iterum objiciatur, atque eadem, vel alia excommunicatio probetur, tunc actor in sequentibus repellatur ab agendo, donec meruerit gratiam absolutionis obtinere: valeant tamen ea, quæ prius acta fuerunt. *Quarto*, quod ultra duas vices exceptio hujusmodi non opponatur: nisi vel nova excommunicatio emergerit, vel evidens et prompta probatio de antiqua supervenerit.

124. *Si exceptio excommunicationis probetur primum post sententiam latam, impeditur hujus executio, sed sententia valet. Solvitur instantia ex cap. 1. de Rescriptis, in 6.* — *Quinto* dicitur, sive declaratur ibidem, quod si exceptio excommunicationis proponatur, atque probetur primum post rem iudicatam, seu latam sententiam; tunc quidem impediatur hujus executio, nihilominus sententia, quæ præcessit, valeat. Nec obstat cap. 1. de *Rescriptis*. in 6. ubi ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valet, si ab excommunicato super alio, quam excommunicationis vel appellationis articulo fuerit impetratum. Resp. enim, ubi sermonem esse de nullitate processus, ac sententiæ latæ a iudice delegatæ, seu dato per rescriptum ab excommunicato nulliter impetratum: quia enim in antea non habuit jurisdictionem aliquam respectu talis causæ, hanc quæ per ejusmodi rescriptum, utpote ipsum jure nullum, accipere non potuit, merito totus processus una cum sententia inde secuta invalidus, ipsoque jure irritus censetur. Secus est in casu cap. 1. h. t. in 6. ubi

sermo est de iudice ordinario, atque jam antea jurisdictionem suam habente, et de sententia per ipsum lata; prout uberius dictum est supra lib. I. tit. III. de *Rescriptis*. § 2. n. 47. et 48.

125. *Actorem excommunicatum debet iudex ex officio repellere; et qualem?* — *Sexto*, in cit. cap. 1. h. t. in 6. dicitur, quod si actor sit publice excommunicatus, et hoc iudex noverit, quandocumque (licet reus de hoc non excipiat) ipsum iudex ex officio repellere debeat. Atque istud ultimum antea jam statutum fuerat in cit. c. *Exceptionem*. 12. h. t. Quod tamen de facto, seu post concilium Constanciense, ac bullam Martini V. *Ad evitanda*, solum procedit de excommunicato vitando; qualis est publice denunciatus, aut notarius percussor clerici: quia excommunicatum non vitandum potest quidem iudex ab agendo repellere, sed non tenetur repellere; cum de facto non obligetur ipsum vitare. Suarez disp. 16. de *Censuris*. sect. 3. n. 2; Pirhing h. t. n. 20. et alii.

126. *Quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis, non compellitur opponens eam probare infra octo dies.* — Additur notanter n. 121. « Excommunicatio in vim delatoriæ opposita, » etc. De tali quippe exceptione in cit. cap. 1. h. t. in 6. est sermo: uti patet ex toto contextu, ac notat Glossa ibid. vers. *Opponit*. Secus dicendum, quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis: ut si electo ad beneficium ecclesiasticum, suamque electionem prosequenti, ex adverso objiciatur, seu contra ipsum excipiat, quod fuerit electus in excommunicatione majori, vel quod fuerit electus ab excommunicatis. Nam quia talis exceptio excommunicationis est peremptoria, atque perimit totum jus actoris, eo quod electio excommunicati, vel ab excommunicatis celebrata, ipso jure sit irrita et nulla, c. *Postulatus*. 7. de *Clerico excommunicato*, etc. et c. *Constitutis*. 23. juncta Glossa vers. *Excommunicationis. de Appellat.* cum similibus: hinc non compellitur opponens eam probare infra spatium octo dierum, sed datur competens dilatio; neque alia hactenus dicta respectu talis peremptoriæ exceptionis procedunt. Glossa cit. cap. 1. vers. *Opponit*. h. t. in 6.

127. *Reo excipiente de excommunicatione actoris, non obstat communionis replicatio.* — Quæritur II. Quæ aliæ exceptiones specialiter hoc titulo approbentur, vel reprobentur?

Resp. I. Reo excipiente de excommunicatione majori contra actorem, non obstat communionis replicatio: qua videlicet actor replicat, etiam reum esse excommunicatum, eo quod scienter excommunicato vitando communicaverit in locutione, vel oratione, sicque incurritur excommunicationem minorem. Textus est in cap. II. h. t. addita ea ratione disparitatis: Quia excommunicatus excommunicatione majori, puta actor, est simpliciter « a communione fidelium exclusus. » Excommunicatus vero excommunicatione minori, quæ incurritur ob communionem cum excommunicato vitando, puta reus, « tantum a sacramentorum participatione est remotus. » Ita Pontifex.

128. *Habens plura beneficia contra alium de pluralitate beneficiorum non excipit.* — Resp. II. Habens plura beneficia, contra alium de pluralitate beneficiorum non excipit. Ita textus in c. *Cum Ecclesiasticæ*. 3. h. t. juncto Summario, et doctoribus ibid. Accedit ratio, quia non potest quis reprehendere in alterius persona, quod in sua putat æquum, can. *Nihil iniquius*, et seqq. 32. q. 6. et can. *Judicet*. 3. q. 7. cum similibus. Unde sanctus Augustinus, relatus can. *Iniquum est*. 32. q. 6. merito ait: « Iniquum est, ut quisque de alio judicare velit, et judicari de se nolit. » Accedit, quod frustra invocet auxilium legis, qui committit in legem, arg. cap. penult. de *Adulter.* cum similibus. Atque illud notissimum: « Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo; » prout habetur l. 1. ff. *Quod quisque juris*, et c. *Cum omnes*. 6. de *Constitut.*

129. *Saltem nomine proprio: et an nomine Ecclesiæ sic possit excipere?* — Quamquam cæteroquin sit fatendum, quod cit. c. *Cum Ecclesiasticæ*. h. t. sit difficile quoad intellectum, et adhuc reddatur difficilior propter diversa dicta doctorum; uti videre est apud Glossam ibid. §. *Opponere*. Abbatem n. 1. et 4. ac seqq. Innocentium, Joan. Andream, et alios, illud præsertim in dubium revocantes; An habens plura beneficia nequeat contra pluralitatem beneficiorum alterius excipere, non solum nomine proprio (prout ultro fatentur, ob rationes hactenus relatas) sed nec etiam nomine Ecclesiæ, in cujus præjudicium tendit dicta pluralitas beneficiorum. In quo quidem casu probabilior est, istud posterius fieri posse, quando beneficia de jure communi sunt incompatibilia: secus, quando de jure communi sunt compatibilia,

vel adest legitima dispensatio pontificia, licet dicta pluralitas beneficiorum repugnet speciali statuto cuiuspiam Ecclesiæ. Verum de hoc plura citati auctores, et Pirhing h. t. n. 33. et 34.

130. *Exceptio rei judicatæ non competit reo absoluto ex eo, quia tempore latæ sententiæ non possidebat, si post eam possidere incipiat.* — Resp. III. Exceptio rei judicatæ non competit reo absoluto ex eo, quia tempore latæ sententiæ, non possidebat, sed jam antea bona fide desierat possidere, si post sententiam denuo possidere incipiat. Textus est in c. *Adversario* 13. h. t. ubi Glossa, Abbas, aliique doctores communiter accedit ratio, quia exceptio rei judicatæ non competit, quando cessat ratio olim latæ: atqui ratio sententiæ olim latæ, seu cur reus fuerat absolutus, est illa, quia tunc non possidebat: hæc autem ratio cessat, quando post sententiam denuo incipit possidere; ergo.

131. *Id ipsum probatur in simili.* — Id ipsum declaratur, et probatur a pari. Quia si reus fuit absolutus, eo quod actor ante statutam diem, vel ante eventum conditionis, sub qua quidpiam spondebatur, illud petisset; non ideo potest reus prætere exceptionem rei judicatæ adveniente illo die, vel eveniente conditione: ut l. *Grege*. 8. fin. ff. de pignorib. et l. *Bovem*. § *Si sub conditione*. E. de *Ædilitio edicto*. Nam ante diem illum, ant eventum conditionis, nihil adhuc debebatur: bene tamen postea. Idem ergo dicendum, ubi reus fuit absolutus ex eo, quia tunc non possidebat, ubi postea de novo possidet.

132. *Exceptio rei judicatæ per judicem ecclesiasticum, debet etiam admitti in foro sæculari; et econtra.* — Resp. IV. Exceptio rei judicatæ per judicem ecclesiasticum, debet etiam admitti in foro sæculari; et econtra. Ita textus expressus in cap. II. h. t. in 6. ubi iudices sæculares oppositum attentantes, per censuram ecclesiasticam jubentur compelli ad admittendam exceptionem rei judicatæ per judicem ecclesiasticum in casu, quo ad eum de jure, vel consuetudine pertinet cognitio: et econtra iudices ecclesiastici, non admittentes exceptionem rei judicatæ per judicem sæcularem in his, quæ animarum periculum non inducunt, per superiores suos animadversione debita castigandi censentur. Intellige, dummodo alioquin ejusmodi exceptio rei judicatæ, de jure sit admittenda: quod additur propter dicta in conclus. præ-

ced. et nonnullos similes casus, in quibus exceptio rei judicatæ non procedit; prout notat Glossa in cit. cap. II. § *Admitti*. h. t. in 6.

133. *Testis, contra quem fit exceptio de crimine, isto probato repellitur a testimonio; de crimine tamen non punitur.* — Resp. V. Quando fit exceptio contra testem, atque is de crimine contra eum excepto vincitur, vel alias convictus apparet, tunc is repellitur a testimonio: de crimine tamen non punitur, si non tangat negotium principale. Ita textus in cap. I. h. t. ubi Abbas in *Summario*, aliique doctores communiter. Accedit ratio, quia si crimen objicitur testi per modum exceptionis regulariter solum agitur ad repellendum ejus testimonium, non vero ad sumendam publicam vindictam; ergo sufficit, ut iudex ipsum convictum repellat a testimonio. Nam, ut contra iudex posset procedere puniendo, seu infligendo pœnam ordinariam: deberet præcedere accusatio, ac cæteroquin juris ordo servari; prout dicitur in textu in cap. I. h. t. et c. *Inquisitionis*. 21. § 1. de *Accusationib.* Verum de exceptionibus contra testes, plura ex professo jam dicta fuerunt tit. XX. de *Testibus*. § 17. n. 534. et seqq. De aliis etiam exceptionibus, præsertim hoc titulo contentis, vel hactenus jam dictum est, vel in propriis locis commodius dicetur.

134. *Dicta de exceptionibus, servata proportionem, locum habent in replicationibus. Replicatio, et quasi exceptionis exceptio.* — Illud duntaxat præmissis est addendum, quod ea, quæ hactenus dicta fuerunt de exceptionibus, servata proportione etiam locum habeant in replicationibus. Siquidem effectus replicationis est, resolvere, vel expugnare exceptionem: unde sicut se habet exceptio ad actionem, ita se habet replicatio ad exceptionem, l. II. ff. h. t. Et sicut excipiens non confitetur, ita nec replicans. Glossa in c. *Exceptionem*. 63. in fin. de *Reg. iur.* in 6. Abbas c. *Cum venerabilis*, n. 27. et c. *Dilecti filii*, n. 9. h. t. inde ulterius inferens, quod ut replicatio admittatur, suumque effectum operetur, requirantur ea omnia, quæ concurrere debent ad exceptionis admissionem: nam replicatio est « quasi exceptionis exceptio, » ut dicitur l. *Exceptio est*. 22. ff. h. t.

## TITULUS XXVI.

## De Præscriptionibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Postquam titulo præcedenti visum est de exceptionibus in genere, sequitur nunc de præscriptione, quæ est species quædam exceptionis peremptoriæ, atque non raro in judiciis objici solet. Et quia notabiles circa eam occurrunt difficultates, merito de ipsa tum in jure civili, tum canonico, sub specialibus titulis tractatur: unde de ea majoris claritatis gratia in distinctis etiam paragraphis agendum videtur; haud obstante, quod de præscriptione, et usucapione, etiam in *Theologia morali* tract. 7. distinct. 6. per totum ex professo jam egerim.

## § I.

DE NATURA, DIVISIONE, EFFECTU, ATQUE CONDITIONIBUS USUCAPIONIS, ET PRÆSCRIPTIONIS.

2 et 3. *Præscriptionis nomen sumitur dupliciter; generatim, et magis proprie: quomodo?* — Queritur I. Quot modis « præscriptionis » nomen in jure sumatur? Resp. I. Dupliciter. *Primo* generatim: prout idem est, ac exceptio, sive oppositio ad excludendam actionem, seu intentionem alterius. Sic præscriptio accipitur in l. *Sed et si*. § ult. ff. de *Judiciis*: atque in toto tit. ff. et c. de *Exceptionib. et Præscriptionib.* et alibi frequenter.

*Secundo*, et magis proprie, sumitur præscriptio specialiter pro exceptione peremptoria, per quam bonæ fidei possessor, post decursum temporis a legibus definiti, dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure, uti volentem, repellere potest. Sic enim quis dicitur contra eum præscribere, seu peremptorie excipere, opponendo continuatam sufficientis temporis possessionem, per quam fecit rem suam. Et in hoc sensu procedit rubrica præsentis tituli.

4. *Præscriptio adhuc dupliciter accipitur, nempe prout et in fieri: et prout est in facto esse.* — Resp. II. Præscriptio taliter sumpta, adhuc dupliciter accipi potest. *Primo*, prout est in fieri: qualiter aliud non est, quam

actus acquirendi rem alterius per durantem etiamnum possessionem bona fide continuatam, et necdum tempore legibus definitio absolutam: et sic præscriptio dicitur non procedere, dormire, vel interrumpi, juxta amplius dicenda § 7. n. 191, 192 et seqq. *Secundo*, prout est in facto esse: quando videlicet tempore legitimo completo per continuatam bona fide possessionem cuiuspiam jam est acquisitum jus in re, vel extinctum jus alterius, eique præscriptum. Dicitur notanter in dativo, « eique præscriptum. » Siquidem

5. *Circa prescriptionem est observanda certa phrasis, et formula loquendi; et qualis?* — Notandum est cum Ludov. Engel h. t. n. 4. et aliis, quod circa præscriptionem sit observanda certa phrasis, et formula loquendi. Quando enim per præscriptionem jus alterius, quod habuit in re nostra, puta, agro, domo, etc., extinctum seu peremptum est, eo quod tempore a legibus definito jure suo uti neglexerit: tunc juristæ solent loqui in dativo, scilicet: « Præscripti huic obligationi: jam præscriptum tali juri, actioni. » Vel saltem solet addi præpositio, *Contra*, dicendo v. g. « Præscriptio contra talem obligationem. » Quando autem de acquisitione sermo est, dum scilicet per viam præscriptionis nobis jus, vel dominium rei alienæ acquisitum fuit, tunc utimur, vel nominativo, vel accusativo casu, taliter: « Præscripta est a me res ista: » sive, « Præscripti hanc rem, jurisdictionem, servitutum, » etc.

6. *Usucapio, quid?* — Queritur II. Quid sit usucapio, et an differat a præscriptione? Resp. I. « Usucapio est acquisitio, vel adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege diffiniti. » Ita textu in l. III. ff. de *Usucapion*. Quæ quidem definitio est intelligenda causaliter, ut notat Glossa 1. ibid. Etenim usucapio est causa acquisitionis domini, non vero est ipsa acquisitio; sicut a pari traditio rei est causa possessionis, non vero ipsa possessio.

7. *Solvitur instantia contra ejus definitionem.* — Dices. Data definitio non explicat quidditatem usucapionis, sed duntaxat effectum ejus, ut proxime dictum; ergo non est bona: nam causatum, sive effectus, necessario differt a causa, veluti correlativum ipsius. Resp. neg. consequent. cum suæ probationis consequentia. Quamvis enim definitio rei non recte concipiatur per effectus ipsius, qui duntaxat sunt remoti, ac pluribus